

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Nevrologiae Corporis Hvmani

Commentatio ...

Karl August <Sachsen-Weimar-Eisenach, Großherzog>

**Ienae, [1798?]
[MDCCLXXVIII?]**

VD18 90524411

urn:nbn:de:gbv:45:1-10357

PRIMAE LINEAE
NEUROLOGIAE
CORPORIS HUMANI

COMMENTATIO I.

EVAM

RECTORI ACADEMIAE
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO
PRINCIPIS AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AUGUSTO

DUCE SAXONIAE JULIACI ELISIAE MONTIUM ANGARIAE
ET WESTPHALIAE REL.

PRO LOCO
IN GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
RITE OBTINENDO

DIE XIX. SEPTEMBR. MDCCLXXVII.


PVBlice DEFENDET

IVSTVS CHRISTIANVS LODER D.

MEDICINAE ANATOMIAE CHIRVURGIAE ET ARTIS
OBSTETRICIAE PROFESSOR PVBL. ORD.

IENAE
EX OFFICINA FICKELSCHERRIANA.





Handwritten text on the aged paper, including 'B.I.G.' and '3000000'.





P R A E F A T I O.



Circumspicienti mihi, commentationis, qua locum in gratioso Medicorum ordine ex Maiorum instituto occuparem, argumentum, Commilitonibus, in quibus erudiendis muneris nostri ratio inprimis versatur, vtile, nec tamen a dignitate academica alienum; missa, quam primum medita-

) (2

tus

PRAEFATIO.

tus eram, pharyngis descriptione, visum est, primas hasce Neurologiae lineas ducere.

In tanta enim anatomicorum librorum copia, nullus fane inuenitur, qui prima Neurologiae elementa accurate satis et absolute contineat. Quos autem habemus, mancos esse ac vitiosos, nemo facile negabit, cui quidem noua incrementa, quae haec Anatomiae pars indefessis summorum Virorum laboribus debet, ignota non sunt. Ex ipsis vero fontibus haurire, tyroni difficile, immo fere impossibile videtur.

Qua de causa non inutilem laborem me suscepturum arbitrabar, si prima Neurologiae rudimenta traderem, quae in praelectionibus in subtilem hanc doctrinam habendis ego sequerer, quibusque vterentur Auditores, ea, quae in cadauerum sectione viderint, repetituri. Qui autem prima haecce elementa in succum, vt aiunt, et sanguinem conuerterunt, abs-



PRAEFATIO.

absque vlla difficultate Auctores legent, qui neruorum furculos minimos vberius exposuerunt.

Varietates neruorum recensere arduum quidem non fuisset, cum tot earum exempla in Incisorum scriptis occurrant, quibus et ego ex ipsis aduersariis meis non pauca addere potuissem. At instituti mei ratione impediabar, quo minus ea elementis infererem, quae, vberiori tractationi relinquenda, iis tantum exponuntur, qui subtilioris Anatomiae dulcedine capti, toti sese huic disciplinae tradunt, nec in ea excolenda tempore, ingenio et sollertia destituuntur.

Scriptores, quos allegaui, ii sunt, quibus potissimum in elaboranda hac commentatione vltus sum. Eorum nomina reticere nolui, persuasus, me eos non plane descripsisse, sed in his et in illis quaedam profecto tradidisse, quae ipsa cadauerum comparatio, quantula-



PRAEFATIO.

tulacunque fuerit, mihi suppeditavit. Neque etiam tyronibus ingratum fore credidi, si in describendo quovis nervo Auctorem nominarem, qui de industria de illo egerit.

Quod si denique hancce nostram opellam harum rerum peritis non displicuisse cognouero, reliquam nervorum partem non solum tradam, sed suo quoque tempore fusio-rem Neurologiam novis iconibus illustratam dabo, quae autem, quia res ardua est, et indefessam multorum annorum diligentiam plurimumque cadauerum contemplationem requirit, nonum a me in annum prematurum necesse est.



Ner-



 **N**ervos humani corporis breuiter descripturus, pauca de eorum definitione, origine, diuisione et natura praemittenda esse existimo, ne tyronibus, quorum in vsum praecipue haec scripta sunt, aliquid deesse videatur.

Nervos igitur dicimus funiculos fibrosos, a cerebro aut a spinali medulla profectos, teretes, albidos, sensu viuiddissimo praeditos. *) Diffunduntur, variis ramis, furculis et filamentis diuisi, per totum humanum corpus, tandemque vel in fibrillulas, quae vix oculo armato conspici possunt, vel in pulpam molliorem **) terminantur; nonnulli

A

tamen

*) HALL. *Elem. Physiol.* IV. 185.

**) *Traité complet d'Anatomie par M. SABATIER*, II, 635. In nonnullis sensoriiis nervis euidentissimum hoc esse fufius docet HALLERVS l. c. 199.



tamen eorum, variis anastomosibus inter se iuncti, novos truncos exhibent, vel plexus produnt, vel nodulos plerumque oblongos formant, quos *ganglia* vocamus. Haec ipsa ganglia vero ex filamentis nerveis mira ratione inter se complicatis, et dura rubicunda vasisque minimis instructa tela cellulosa iunctis, constant, novosque nervos praebent, semper fere numerosiores quam quos receperant. Hinc ganglia ista faciliori nervorum quorundam distributioni, partim et plurium filamentorum in vnum maiorem truncum coniunctioni inprimis inferuire facile apparet. *)

Omniū nervorum *origo* non, nisi in medullari cerebri parte, quaerenda est. Illi ipsa adeo spinalis medulla, ex qua tot nervorum trunci prodeunt, tanquam fonti, originem suam debet. Vanae igitur eorum fuere sententiae, qui, nervorum aut e membranis cerebri **), aut ex ipso corde ***) ortum olim deduxerunt, quos nostris temporibus accuratior Anatomia deridet, vel aliter explicare studet.

Nervus

*) HAASE *Diff. de gangliis nervorum*. Lips. 1772.

**) Ita docuit nuperrime MARAT in libro *de l'homme*, et olim ERASISTRATVS iuuenis, qui tamen senili aetate errorem suum agnovit, vnumque cerebrum esse nervorum omnium principium iudicavit.

***) ARISTOTELES περὶ ζωῶν ἰσότητος. L. III.

Nervorum *divisio* in *cerebrales* et *spinales* antiqua iam est, et adhuc accepta, ita tamen, ut in stabiliendo numero ipso nervorum, qui ad cerebrales referendi sint, omnes fere eorum descriptores differant. Ut enim rem in exemplis ponam, septem nervorum cerebralium paria MARINVS et GALENVS numerarunt, quos magna priscorum medicorum cohors secuta est; EVSTACHIUS, novem; WILLISIVS, ANDERSCH, WINSLOW et SABATIER, decem; BIDLOO, duodecim; nuperrime Cl. SÖMMERRING *), ex sententia Cel. WRISBERGII, Praeceptoris sui, octo numerari debere sibi persuasit. — Alia divisio est, in nervos *cerebri*, *cerebelli*, *medullae oblongatae* et *medullae spinalis*; alia, in *molles*, quos a cerebro et *duros*, quos a cerebello veteres deduxerunt; alia in *sensorios* et *motorios*; alia, quoad ipsorum originem, in *singulares* et *numerosos*. **) — Hisce vero in divisionibus

A 2

diutius

*) Vid. egregia Er. Dissertatio *de basi encephali et originibus nervorum cranio egredientium*. Gotting. 1778. Separat ille septimi paris, vel nervi auditorii, portionem duram a molli; illam, proprio nomine, vocat nervum communicantem faciei, hanc vero, nervum auditorium, et singulam portionem pro peculiari nervo habet; nervum autem glosso-pharyngeum et vagum (par octavum) ac lingualem medium (par nonum) ad spinales refert. Novitatem hanc gravissimis argumentis reiecit Cl. HENNEMANN, aequalis noster et amicus, in eximia Dissertatione *de nervis pelvis et genitalium sexus potioris*. Gotting. 1778. cuius scripti priores pagellae iam exstant, reliquae valde desiderantur.

**) Cf. WILLISII *Anatomia cerebri*, cap. XXI.



diutius insistere non vacat, quippe quae breuiter tantummodo indicandae erant.

Omnibus autem nervis, quotquot sint, *sensus* viuidissimus inest, neque in toto nostro corpore, nisi per nervos et cerebri substantiam medullarem, sentimus. Hinc omnes partes, quae nervis destitutae sunt *) *sensum* nullum habere manifestissimum est; eas vero, quae nervos in ipsam suam substantiam recipiunt, tanto viuidiore sensu gaudere, quanto maior sit nervorum copia, quam accipiunt. Immortaliter hac de re meritus est b. HALLERVS, summus Vir, cuius indefessae industriae egregia sane et nunquam satis celebranda experimenta, quae huc spectant, debemus.

Sentiunt itaque nervi, *sensum*que suum per impressionem externam excitatum ad cerebrum deferunt. An vero id fiat per *vibrationem*, chordearum elasticarum instar, vel per *liquorem subtilissimum*, tenuissimos nervorum canaliculos pererrantem, diu disputatum iam est, et adhuc disputatur. Nos quidem, licet in his omnibus multa detegenda et probanda

*) v. c. tendines, ligamenta et capsulae, periosteum, pericranium, membranae, ossa, cartilagines. *Sensum*, quem hisce partibus tribuerunt plurimi Cl. viri, a nervis supra eas decurrentibus deducendum esse, nemo facile negabit. Illum *sensum* in statu pathologico luculentius se manifestare ex Chirurgia inprimis discimus.

banda supersint, eorum sententiae accedere non dubitamus, qui fluidum nerveum defendunt, simulque docent, nervorum canaliculos proprios, arteriosos dictos, existere debere, qui fluidum istud a cerebro ad nervorum fines perducant, aliosque, qui a finibus istis eundem liquorem ad cerebrum ferant. Breuitatis studio rationes nostras non subiungimus.

Quod denique nervorum *inuolucra* attinet, hoc certum est, piam meningem nervos omnes comitari, telamque cellulosam funiculos nerveos inter se iungere; dura cerebri membrana vero nervos non comitatur, quod tamen crediderunt aliqui, quos fortassis error a nervo optico, qui in decursu suo dura illa membrana partim circumvoluitur, exortus decepit. Vascula sanguifera utriusque generis in nervis conspicua esse, subtilior Anatomia docet.

Hicce igitur praemissis, ad ipsum nervorum decursum describendum progrediamur.



Nervus primi paris, seu olfactorius.

Oritur *) hic nervus, qui omnes alios mollitie superat, et prismatica forma gaudet, ex fine inferiori loborum ante-

A 3

riorum

*) In describendis nervorum cerebralium originibus inprimis secutus sum Cl. SÖMMERRING, cui eo magis fidem tribuere possum, cum ipse testis fuerim, quo ingenio et qua solertia scriptum

riorum cerebri, duabus plerumque fibris medullaribus, albis, et distincta propagine corticali, cinerea. Altera origo medullaris, quae externa et longior est, e fossa Syluii procedit et coniungitur cum origine medullari altera, breuiori, interna, quibus denique accedit superior corticalis propago. Latitudo hisce originibus inest, crassities fere nulla. Truncos sic formato arteriarum cerebri anteriorum ramuli, non minus ac nerui optici truncus, adhaerent. Replet sulcum sibi proprium in cerebri lobo anteriori. Abit deinde in clauatam crassitiem, cineream, quae ab altera oppositi nerui per cristam galli separatur. Denique foueolam cribrosam ad latus cristae galli excauatam implens, nares ipsas intrat, ubi in ramos numerosissimos per foraminula cribrosi ossis trans-euntes, sua quisque vagina durae meningis inclusos, diuisus supra ipsam narium membranam internam distribuitur.

De hoc neruo optime egit Celeb. METZGER, Professor Regiomontanus, in Dissertatione *de primo pare neruorum cerebri*. Argent. 1766.

Nervus secundi paris, siue nerui optici.

Oriuntur ex ipsa parte posteriori et inferiori thalamorum neruorum opticorum, fasciculis quibusdam medullari-

scriptum suum inaugurale per tres fere annos pertractauerit, quibusque adminiculis in hoc labore usus sit. Non tamen propriam cadauerum comparisonem et in his quoque neglexi.

laribus, qui circum crura cerebri flectuntur, ut novos inde origines accipiant. Trunci tali modo formati, sibi inuicem propius accedentes, concurrunt tandem ad tuber illud, a quo pendet infundibulum; denique vero in angulum obtusum flexi, quisque pia meninge et arachnoidea vestitus, foramen opticum intrat, ubi dura meninx ad recipiendum nervum istum peculiarem canalem format. Orbitam sic ingressus, dura meninx diffinditur in duas laminas, quarum exterior periosteum orbitae constituit, interior autem nervum comitatur, usque in scleroticam abit. Transfit vero nervus ipse per origines muscutorum oculi, et, circumdatus nervis, arteriis venisque ciliaribus, teres sed compressus, oculi bulbo inseritur, naso propius, non mediae parti. Antequam vero bulbo oculi inseratur, recipit arteriam venamque centram retinae. Constringitur nervus ingressu suo per scleroticam. Pia deinde meninx, vasculosa, intus scleroticam oblinat; medullosa vero ipsius nervi pars contrahitur in conicam papillam, et per foraminula laminae cribrosae, intra scleroticae crassitiem posita, penetrans retinam gignit.

De hoc nervo fusius egit b. ZINN in *descriptione anatomica oculi humani*, et b. HALLERVS in *Elem. Phys.* Vol. IV. V. Hi quoque in par. tertii, quarti et sexti historia legi debent.

Nervus



Nervus tertii paris, seu par oculo-motorium.

Oritur ex internis posterioribus cerebri cruribus, in spatio inter eminentias mammillares, et sulcum illum, qui pontem antè terminat. Ex variis fibris medullaribus conflatur truncus, qui planus est, deinde vero rotundior euadit. Nervus ille, a compari suo oblique extrorsum secedens, offendit, quisque in suo latere, arteriam cerebelli superiorem et cerebri profundam HALL., inter quas mediùs iter suum pergit. Tum, iuxta sinum caernosum transiens, sub nervo optico prolabitur, et super ramum primum quinti paris et par quartum decurrit. Mox offendit foramen in dura meninge, ac per fissuram sphenoidalem superiorem orbitam ingreditur. Antequam autem illam intraverit, in duos diffinditur ramos, *superiorem minorem* et *inferiorem maiorem*. *Minor* ad muscolum oculi rectum superiorem, seu attollentem, et ad leuatorem palpebrae superioris abit. *Maior* vero, inferior, incumbens musculo recto inferiori, siue deprimenti, in tres ramos diuiditur, qui ad muscolum lateralem internum, siue adducentem, ad rectum inferiorem, et ad obliquum inferiorem seu minorem pergunt, seque his ipsis immergunt. Ille vero ramus, qui in obliquum minorem terminatur, radices edit *ganglio ophthalmico*, de quo in descriptione rami primi quinti paris nobis sermo erit.

Nervus

Nervus quarti paris, seu par patheticum.

Oritur hic nervus, omnium gracillimus, pone testes, plerumque ex ipsa valuula cerebelli, aut simplici, aut vero duplici radice. Trunculus adeo formatus, occurrens arteriae cerebelli superiori, incumbit processui cerebelli ad nates, et deinde ad latera exteriora crurum cerebri delabitur. Adhaeret per cellulosa[m] telam margini cerebelli anteriori, mox vero ab eo seiunctus apparet in basi cerebri, filisque laxioribus cum nervo quinti paris cohaeret. Decurrit porro ad latus exterius nervi tertii, per vaginam cellulosa[m] ab illo, septo autem crassiori a sinu cauernoso seiunctus. Denique per hiatum in dura meninge ipsi paratum transiens, orbitam ingreditur per fissuram sphenoidalem superiorem, et procedit ad musculum trochleatorem, cui multis filamentis inferitur.

Nervus quinti paris, siue par diuisum.

Oritur duabus portionibus e pedunculo cerebelli ad pontem, aut e ponte cerebelli. Altera portio maior est et posterior, altera minor et anterior. Saepius ex vnico fibrillarum medullarium fasciculo compositum esse MECKELIVS tradidit. Ab ortu suo, ex plurimis fibrillis nerveis in vnum teretem funiculum collectis constans, sub arachnoidea antrorsum fertur versus angulum ossis petrosi superiorem. Tum in oualem figuram compressus, foramen offendit durae me-

B

ningis





ningis proprium, sub sinu petroso superiori situm. Per hoc transiens, caueam subit a durae meningis duabus laminis factam, intra quam fibrillae huius nerui expanduntur in planam taeniam neruosam, quae plerumque *ganglion GASSERII* vocatur. Deinde neruus magis latefcit, et fibras suas in tres diuerfos ramos distribuit.

RAMVS I. OPHTHALMICVS WILLISII. Antrorfum fertur ad latus finus cauernofi, et comitem interius fibi adiacentem accipit neruum sexti paris, a quo tamen, intercedente fepto finum cauernofum exterius claudente, feperatur. Tum ad alas clinoidneas accedens fuperne fibi impofitum accipit neruum quarti paris; vbi vero fub offis fphenoidi alis clinoidis ad fifsuram fphenoidalem fuperiorem accedit, accipit neruum paris tertii. Tandem vero orbitam ingreditur. Priusquam autem hanc fubeat, diuiditur in tres ramos, duos minores et vnum maiorem.

a) Ramus minor, exterior et fuperior, *lacrymalis* dictus, verfus canthum oculi externum ad glandulam lacrymalem fe confert. A trunco enim fuo extrorfum tendens, orbitam ingreditur ad latus externum originis mufculi recti fuperioris, feu attollentis. Tunc proxime ad periofteum orbitae procedens, ad glandulam lacrymalem fertur. Hanc vbi adiit, furculos quofdam edit, inter quos aliqui cum furculis ex ramo fecundo et tertio quinti paris prodeuntibus anafthomofin

mosin faciunt; reliqui vero sirculi in glandula lacrymali dispersi, plexus arcusque efficiunt, et denique ex glandula egressi, in tunica oculi coniunctiua, partim et in extima palpebrae superioris parte, sese dispergunt.

b) Ramus minor, interior et inferior, *nasalis* seu *ethmoidalis*. Oritur iuxta finem cauernosum, in ea regione, vbi sub alas clinoides ramus primus quinti paris se coniicit. Intrat orbitam sub origine muscoli leuatoris palpebrae et recti superioris, ramulumque praebet, qui exteriori lateri nerui optici adiacens, *radix longior ganglii ophthalmici* euadit.

Ganglion istud *ophthalmicum*, aut *lenticulare*, aut *ciliare*, duabus originibus constat. Altera est, quam modo diximus; altera, breuior et crassior, a ramulo tertii paris ad exterius nerui optici latus prouenit. Haec est plerumque ganglii ophthalmici origo; non desunt tamen exempla, quae simplicem eius originem ex tertii paris ramulo exhibuerunt, quorum testes sunt HALLERVS ipse et MECKELIVS. Ex isto autem ganglio *ciliares nerui* prodeunt, qui cum alio ciliari neruulo, ex ipso ramo nasali prodeunte, interdum in duo filamenta diuiso, circa neruum opticum decurrentes, oculi cauum per scleroticam subeunt, inter scleroticam et choroideam iridem versus decurrunt, ibique in ramulos minores abeunt.



Data igitur radice longiori ganglii ciliaris, et exhibito furculo ciliari, ipse nasalis nervus ad trochlearem muscolum tendit, vbi in duos ramulos diffinditur; quorum *alter* (interdum duo adfunt) nasum ingreditur per foramen ethmoideum posterius, ibique in membranam narium internam plerumque finitur; *alter* vero, cui MECKELIVS *infra-trochlearis* nomen dedit, sub tendine musculi trochleatoris migrans, in duos plerumque ramulos dispescitur, superiorem et inferiorem. *Superior*, ex orbita egressus, anastomosi iungitur nervo supratrochleari ex ramo frontali prodeunte, atque furculos praebet ad palpebram superiorem et ad frontem; *inferior* autem anastomosis facit cum ramulo ex dura portione septimi paris proueniente, tandemque in carunculam lacrymalem, facci lacrymalis membranam, nec non in muscolum orbicularem palpebrarum abit.

c) Ramus maior, medius ac superior, *frontalis* dictus. Oritur sub ipsis alis clinoides, intrat orbitam per mediam fissuram orbitalem posteriorem, et supra muscolum leuatorem palpebrae superioris tendit. Egreditur tandem ex orbita per foramen supraorbitale. Paullo autem ante hunc egressum porrigit ramum *supratrochlearem* et *frontalem*, qui pro continuatione trunci habendus est. *Supratrochlearis* ramus supra trochleam ex orbita exit, ramulosque spargit, quorum vnus cum nervo infratrochleari communicat, alii vero in superiorem palpebram, in expansionem musculi orbicula-

bicula-



bicularis palpebrarum, ac in musculum frontalem et corrugatorem superciliorum transeunt. Interdum tamen furculus ab eo procedens conuenit, inter tendinem musculi trochleatoris et periorbitam, cum ramo infraorbitali ex nasali. *Frontalis* ramus, qui trunci continuatio est, per foramen supraorbitale vna cum arteria frontali ex orbita egressus, et circa marginem orbitae superiorem reflexus, diuiditur in ramos *sublimes* et *profundos*. *Sublimes* anastomosin faciunt cum furculo ex neruo duro, et abeunt in musculum corrugatorem superciliorum, in orbicularem palpebrarum et frontalem; *profundi* vero decurrunt in musculum frontalem et in galeam aponeuroticam capitis, tandemque ad futuram lambdoideam vsque perueniunt.

RAMVS II. QVINTI PARIS, MEDIVS, seu MAXILLARIS SVPERIOR. Egreditur ille ramus, priori maior, tertio vero minor, per foramen rotundum ossis sphenoidi, seu maxillare superius, quod in canalem producitur, et per hoc in fissuram sphenomaxillarem tendit. Statim ibi porrigit ramulum *subcutaneum malae* MECKELIO dictum, cuius pluri ramuli in cutem os malae tegentem desinunt, alii vero ad orbitam proficiscuntur, et variis anastomosibus cum furculis ex primo et tertio ramo quinti paris prouenientibus coniunguntur. Deinde vero praebet a) *ramum descendente mollem*, qui diuiditur in *neruum Vidianum* seu *pterygoideum* HALL. et in *palatinum*; b) *alveolarem*, siue *dentalem postero-*



rem, et c) *infraorbitalem*, qui pro continuatione trunci habetur.

Nervus *Vidianus*, qui interdum ex ipso rami secundi quinti paris trunco provenit, per canalem Vidianum seu pterygoideum transiens, ramulos dat *nasales superiores anteriores* MECK. qui per foramen sphenopalatinum nasum intrant, et *nasales superiores posteriores*, qui, perforato canali pterygoideo, per ossis sphenoidi substantiam in posterioris partis meatus narium membranam pituitariam sese immergunt. Datis hisce ramulis ipse Vidianus nervus retrorsum repens, ante secundam carotidis flexuram dat: 1) *ramum minorem superficiale*, qui in fissuram aquaeductus Fallopii sese insinuat, et versus nervum durum septimi paris, qui per aquaeductum Fallopii transit, migrans, huic per anastomosis inferitur; 2) *ramum maiorem profundum*, qui canalem caroticum ingreditur, inter duram matrem et carotidem extrorsum procedit, ibique cum nervi intercostalis aut sympathetici magni radice a sexto nervorum cerebralium pare veniente coniunctus, *veram radicem huius nervi intercostalis constituit.* *)

Ramus palatinus, maior Vidiani, per fossam pterygopalatinam descendens, in tres ramulos diuiditur, nempe in a) *maiorem anteriorem*, qui canalem pterygopalatinum anterior-

*) Vid. MECKEL de pare V. pag. 53. sqq. Conf. HALL. Diss. de vera nervi intercostalis origine.



teriolem maiorem subiens, variis ramulis sparsis, in membranam narium pituitariam et in membranam palati sese immergit; b) in *minorem posteriorem*, qui in canalem pterygopalatinum posteriorem minorem descendens, pluribus filamentis in uvulam et in musculus salpingo - staphylinum internum (levatorum palati molliis ALB.) dispergitur; c) in *minimum anteriorem*, qui per canalem pterygopalatinum anteriorem iter suum pergens, in duos plerumque furculos diffunditur, quorum *interior* uvulam, *exterior* autem tonsillam inprimis adit.

Nervus *alveolaris* siue *dentalis posterior*, qui ex ramo secundo quinti paris, antequam ille canalem infraorbitalem intrauit, oritur. Statim diuiditur in duos ramulos, *anterior* et *posterior*. *Posterior*, datis quibusdam ramulis, in radices dentium molarium trium posteriorum maxillae superioris deducitur; *anterior* vero, in aliquot ramulos diuisus, musculo buccinatori inseritur, aut etiam ad dentem molarem posticum furculos mittit.

Nervus *infraorbitalis*, quem recte dicimus continuationem trunci rami secundi quinti paris, nomen suum accipit a canali infraorbitali, quem subit. Intra hunc canalem nervus noster dat vnum ramum anteriorem maiorem constantem, aliosque minores inconstantes, quos omnes *ramos dentales anteriores maxillae superioris* MECKELIUS nominavit.

Prior



Prior ramus constans, *maior*, inprimis ad radices dentium anteriorum maxillae superioris, molarium minorum, canini et incisivorum furculos mittit; interdum etiam alios dat, qui, perforata lamina nasali processus nasalis ossis maxillaris superioris, in membranam ossis spongiosi inferioris anteriorem partem circumueffientem terminantur. *Minores* et inconstantes autem varia directione in dentes molares minores abeunt.

Datis hisce ramis, ipse infraorbitalis nervus e canali suo, comite arteria eiusdem nominis, per foramen infraorbitale in faciem egressus, furculos dat musculo leuatori labii superioris, et in plures ramos, quinque vel sex, diuiditur. Hi autem sunt, vel *descendentes*, vel *ascendentes*. Ad *ascendentes* referuntur: 1) ramus *palpebralis interior*, qui a foramine infraorbitali sursum reflexus et ad inferiorem palpebram ascendens in duos ramulos diuiditur, quorum *exterior* versus canthum oculi externum, *interior* versus canthum internum tendit; 2) ramus *palpebralis exterior*, qui saepe deest. Hic, facta anastomosi cum furculo ex nervo duro septimi paris egresso, in palpebrae inferioris exteriorem partem finitur. *Descendentes* vero nervi infraorbitalis rami sunt, 1) vel *exteriores*, nempe *nasalis superficialis superior*, idemque *inferior*, qui sub cute, quae nasum obducit, terminantur; 2) vel *interiores*, tres aut quatuor *labiales superiores*, qui, variis furculis datis, in musculos cutemque labii superioris disper-



disperguntur. Descendentes illi rami variis anastomosibus, inprimis cum furculis ex neruo duro ortis, coniunguntur.

RAMVS III. QVINTI PARIS, MAXILLARIS INFERIOR, seu GVSTATORIVS MECK. Maximus ille ramorum quinti paris pro continuatione trunci haberi potest. Descendit ad foramen ouale ossis sphenoidei, per quod egressus musculo pterygoideo externo tegitur. Mox post egressum suum diuiditur in quinque ramos minores, et tres maiores.

Minores sunt:

1) ramus *massetericus*, qui ante faciem articulatoriam ossis temporum pro maxilla inferiori, extrorsum migrans, supra musculum pterygoideum externum tendit. Mittit ille furculos ad capsulam articulatoriam maxillae inferioris, et ramulum in temporalis musculi fibras ad incisuram zygomaticam positas; tandemque praebet *ramum temporalem profundum externum*, qui plane in temporalem musculum distribuitur. Tum neruus massetericus descendit versus incisuram semilunarem, inter maxillae inferioris processum coronoideum et condyloideum, tandemque in masseterem musculum plurimis filamentis dispergitur.

2) ramus *temporalis profundus exterior*, qui interdum ex ipso trunco rami tertii quinti paris prouenit. Dispergitur profunde in posteriorem temporalis musculi partem.

C

3) ramus



3) ramus *temporalis profundus interior*, decurrens supra musculum pterygoideum externum, cum nervo buccinatorio saepe communicat. Deinde supra alam maiorem ossis sphenoidi diuiditur in duos ramulos, *anteriorem* scilicet et *posteriolem*, qui profunde per musculum temporalem distribuuntur. Horum ramulorum furculus interdum cum furculo lacrymalis nervi per anastomofin coniungitur. Mire autem ramuli isti temporales profundi origine sua variant.

4) ramus *buccinatorius*. Oritur ex latere exteriori ramuli tertii quinti paris, sub foramine ovali. Descendit plerumque transuersim per musculum pterygoideum externum, eique ramulos praebet. Missis deinde aliis ramulis ad anteriorem partem musculi temporalis, antrorsum descendit inter musculum temporalem et pterygoideum externum, ad buccinatorem musculum antrorsum se confert, eique furculos quosdam porrigit. Vbi denique ad pinguedinem, tegentem musculum masseterem et buccinatorem, in faciem prodiit, diffinditur in tres aut plures ramulos, qui partim in buccinatorem distribuuntur, partem ad pedem anserinum nervi duri procedunt.

5) ramus *pterygoideus*, qui in musculum pterygoideum externum et internum abit. Oritur interdum ex buccinatorio ramo.

Rami

Rami maiores rami tertii quinti paris sunt: α) *maxillaris inferior*, β) *lingualis* et γ) *temporalis superficialis*, seu *auricularis* HALL. Nonnunquam tamen duo tantum maiores rami adfunt: temporalis superficialis, et truncus communis pro maxillari inferiori et linguali. *)

α) ramus *maxillaris inferior*, princeps rami tertii quinti paris, cui et nomen suum imposuit. Obductus fortiori dura matre, vnica plerumque radice ex trunco suo ortus, descendit inter muscolum pterygoideum internum et externum ad foramen interius canalis maxillae inferioris, et exhibet ramum *mylohyoideum*, qui in osseo canali vel in sulco internae superficiei rami maxillae inferioris insculpto decurrens, ad glandulam saliualem maxillarem et muscolum mylohyoideum furculos spargit. Exhibito hocce ramo mylohyoideo, ipse neruus maxillaris inferior immittit se in canalem maxillae inferioris, et, comite arteria venaque, *dentales* ramos ipsis dentibus porrigit. Quibus demissis egreditur ipse neruus per foramen mentale, (*mentalis* tum a quibusdam nominatus), furculos dat denti canino et incisui, statimque sub musculo triangulari menti diuiditur in duos ramos *labiales inferiores*, anteriorem et posteriorem. *Exterior*, qui plerumque minor est, ramulos mittit ad muscolum depressorem anguli oris, nec non ad cutim inferioris labii.

C 2

Alius

*) Non plane neglexit hanc varietatem MECKELIVS, l. c. pag. 91. not. f. Depinxit quoque illam in icone.



Alius vero eiusdem ramulus anastomosi iungitur ramulo ex nervo dure prodeunte. *Interior*, qui plerumque maior est, furculos dat musculo quadrato menti, et anastomosibus plerumque duabus cum ramulo nervi duri convenit. Alii autem eius furculi ad cutem internam labii inferioris et ad musculum orbicularem labiorum proficiscuntur.

β) ramus *lingualis*, saepe cum maxillari inferiori coniunctus, secedit a nervo isto supra arteriam maxillarem internam, quam, ope ramuli ex nervo maxillari profecti et in lingualem inserti, laqueo quasi includit. Tum versus partem inferiorem articulationis maxillae inferioris cum osse temporum accipit *chordam tympani* ex nervo duro ortam. Demittit interdum ramulum ad musculum pterygoideum internum. Tum versus glandulam maxillarem procedens furculos exhibet, qui in *ganglion maxillare* MECK. confluunt, ex quo furculi in ipsam glandulam abeunt; unus vero eorum supra musculum ceratoglossum descendens, cum nervo ex linguali noni paris orto per anastomosi coniungitur, tandemque in musculum genioglossum definit. Pergit deinde ipse lingualis ramus ad musculum ceratoglossum et comitem accipit ductum Whartonianum. Spargit porro ad musculum ceratoglossum, furculos, qui cum ramis ex linguali noni paris anastomosi conveniunt, aliosque, qui in glandulam sublingualem abeunt. Tandem vero lingualis noster ramus diuiditur in sex septemue ramulos, qui in ipsam linguae substantiam se immittunt.

γ) ramus



γ) ramus *temporalis superficialis* (*auricularis* HALL.) Duplex plerumque eius est origo; tum vero superior eius radix ex trunco communi pro ramo maxillari inferiori et linguali, inferior autem radix ex ipso ramo maxillari inferiori egreditur. Has inter radices arteria meningea, aliquando vero maxillaris interna, sita est. Descendit nervus noster iuxta condylum maxillae inferioris, ramulumque (duos interdum) ad meatum auditorium externum mittit, unde furculus ad maxillae inferioris articulationem posteriorem procedens nascitur. Tum nervus ipse sursum reflectitur, versus aurem externam, tectus trunco arteriae temporalis, duosque ramulos emittit, quorum *alter* supra arteriam temporalem antrorsum fertur, et in ramulum ex nervo duro prodeuntem inseritur; *alter*, sub arteria procedens, in duos aut tres furculos diuisus, in pedem anserinum inseritur. Emissis hisce ramulis, furculos dat minores glandulae parotidi, plerumque etiam ramulum ad tragus auris et ad helicis anteriorem partem. Denique vero diuiditur in duos ramulos: *auricularem posteriorem* et *anteriorem*. *Posterior* furculos praebet musculis auriculae; *anterior*, proprie *superficialis temporum* nominandus, in multos furculos diffunditur, quorum pluri mi sub cute supra temporalem musculum finiuntur; alii vero, ad ramos maiores arteriae occipitalis progressi, cum ramulis nervi occipitalis, ex secundo ramo cervicalium orti, nec non cum furculis ex duro nervo, variis anastomosibus conueniunt.





Subtilissimam descriptionem nerui quinti dedit b. MECKELIVS, in tractatu: *de quinto pare neruorum cerebri*, immortalis opere, cuius fere compendium dedimus. Conf. quoque EL. *descriptio neruorum faciei* in *Mém. de l'Académie royale de Berlin*, T. IX. quae quidem, at satis male, germanice prodit, Berolin. 1755.

*Nervus sexti paris. *)*

Oritur ex fulco inter pontem Varolii et corpora pyramidalia; maxima tamen originis pars ab ipsis corporibus pyramidalibus deducitur. Statim ab initio duabus portionibus constat. Planus est, et sub originem ponti adhaeret, ibique ei succumbit arteria cerebelli inferior, vel alius arteriae basilaris ramus. Reperit vnum foramen, vel duo foramina in dura meninge sub sinu petroso superiori; tum vero, coniunctis duabus portionibus in vnum truncum, properat in sinum cauernosum, ibique multa cellulosa carotidi adhaerens, et ipso sanguine sinus cauernosi circumfusus, omnium neruorum infimus, *radicem nerui intercostalis* edit. **) Penetrat deinde per fissuram sphenoidalem superiorem in orbitam, totusque in musculum abducentem seu rectum oculi

*) *Nervus moteur externe* audit WINSLOWIO et SABATIER.

**) Hanc intercostalis nerui radicem, a sexto pare ortam, saepe duobus filamentis, in vnum truncum coniunctis, aut insulam, quae carotidem complectitur, formantibus constare, imprimis docuit MECK, l. c. pag. 56. 57. simulque iconibus expressit.



oculi lateralem externum, varia in filamenta diuifus, abit, nec toto suo itinere vllum furculum, praeter radicem nerui intercostalis, emittit. — Vid. HvB. *epist.* infra alleg.

Nervus septimi paris, siue nervus acusticus.

Duabus diuerfis portionibus constat: 1) altera, quae *dura* et minor est; 2) altera *molli* et maiore. *)

Dura igitur nerui acustici portio, vel *nervus durus*, oritur in limite posteriori pontis Varolii, cum processibus cerebelli in medullam oblongatam confluentis. Mox offendit neruum mollem, cum quo laxiori cellulositate cohaeret. Sub originem planior est, mox autem rotundior euadit. Accipit arteriolam e trunco arteriae basilaris, vel ramulum arteriae cerebelli inferioris. Accedunt huic neruo filamenta neruea plerumque duo, quae ex posteriori pontis limite inter neruum hunc durum et inter mollem oriuntur; interdum tamen filamenta ista vnicum tantummodo trunculum constituunt.

Mollis autem nerui acustici portio oritur in ventriculo quarto, striis medullaribus transuersis. Radices huius nerui dextri lateris propinquae sunt radicibus sinistri. Hae vero

*) Proposuerunt nonnulli Cl. viri eam nerui mollis a duro distinctionem, vt quisque eorum pro peculiari neruo habendus sit. Nos vero, communem fere Anatomicorum sententiam secuti, hos neruos in descriptione nostra coniunximus.



ro radices confluunt in fasciam, quae circa medullam oblongatam ducta ad pontem adplicatur, a quo noua incrementa accipit. Sulcus plerumque ei insculptus est pro recipiendo neruo duro, cum quo laxius cohaeret. (Mollis semper est neruus, et medullarem naturam retinet; durior tamen paululum fit, et fasciculatus in canali neruorum auditus.)

Coniunguntur itaque hi nerui, et per vnum idemque foramen durae meningis egressi, intrant meatum auditorium internum, ita tamen, vt durus neruus magis ad anterius, mollis vero ad posterius vergat. Statim vero a se inuicem separantur, seorsim hinc deferibendi.

I. NERVVS DURVS SEPTIMI PARIS, siue SYMPATHICVS PARVVS WINSL. ita dictus, propter frequentes anastomoses cum furculis trium quinti paris ramorum, non minus ac cum octauo et intercostali neruo, cumque cervicalibus superioribus. — Post separationem a molli, neruus noster in superiori parte cauitatis tympani foramen subit ad aquaeductum Fallopii, cuius apertura exterior foramen stylo-mastoideum est, vehens. Statim ibi recipit ramulum ex Vidiano neruo. Descendens deinde ad latus interius cauitatis tympani, tenuissimo septo ab ossibus auditus separatus, furculum dat musculo tenfori mallei; quo dato, versus partem inferiorem aquaeductus Fallopii procedit, et paullo ante egressum per foramen stylo-mastoideum porrigit *chordam*



dam tympani, quae per proprium canalem inter partem petrosam et squamosam ossis temporum, via retrograda cavitatem tympani ingressa, inter malleum et incudis crus per fissuram Glaseri ex illa cavitare prodit, tandemque ad processum spinosum ossis sphenoidi per osseum canalem transiens, breui itinere cum neruo linguale ex ramo tertio quinti paris se coniungit.

Data igitur chorda tympani ipse neruus durus per foramen stylo-mastoideum, (per quod arteria stylo-mastoidea cranium ingreditur), sub ventre posteriori muscoli biuentris aut digastrici, e cranio exit, et circa processum mastoideum eiusque sulcum flexa, anteriorem faciei partem petit. Diuiditur statim in ramos *posteriores* et in ramum *anteriorem*.

Posteriores rami, plerumque duo, sunt: a) neruus *stylohyoideus* seu *styloglossus*, qui vno furculo aut duobus, stylohyoideum et mylohyoideum musculum adit, et cum ramulis nerui mollis et intercostalis per anastomosis iungitur; altero vero furculo biuentrem adit, cum neruo glossopharyngeo et laryngeo octauum cerebralium paris communicans. b) *Auricularis posterior* ex duro, profunde circa auriculam reflexus, et cum ramo auriculari a tertio pare cervicalium coniunctus, altero ramulo, *auriculari profundo posteriori* MECK, ad auriculam eiusque posteriores musculos tendit; altero vero, *auriculari profundo anteriori* MECK. cum eodem tertio cervicalium pare per anastomosis coniunctus, versus occipitalem musculum et splenium procedit.

D

Anterior



Anterior ramus sub glandula parotide statim diuiditur in duos ramos, maiorem *superiorem* et minorem *inferiorem*.

a) *Superior*, maior et ascendens diuiditur 1) in ramum *temporalem* seu *suprazygomaticum*; 2) *facialem maximum* et 3) *infraorbitalem*; qui variis modis inter se iuncti, cum ramulo ab auriculari quinti paris constituunt arcum, conuexitate sua nasum spectans, et nervos sic dictos faciei praebens. Plerumque hic arcus vocatur *pes anserinus*.

1) Ramus *temporalis* seu *suprazygomaticus* varios ramulos praebet, qui MECKELIO audiunt: *temporales*, *zygomatici*, *supraorbitalis*, *infraorbitalis* et *palpebralis*. Hi quidem furculos spargunt ad frontem, tempus, palpebras, supercilium, orbicularem oculi musculum, masseterem, zygomaticum magnum et ad glandulam parotidem, variis autem anastomosibus iunguntur cum furculis ex infraorbitali et ophthalmico quinti paris, nec non cum filamentis ex faciali magno nervi duri.

2) Ramus *facialis maximus* seu *transuersus* ramum dat maiorem, qui *facialis medius* vocatur, supra ductum Stenonianum, aliosque ramulos spargit, qui ad musculum zygomaticum procedunt, partim cum furculis ex infraorbitali nervo communicant, partim ad buccam veniunt, variisque coniunctionibus suis *plexum infraorbitalem* MECK. formant. *Minor* ramus nervi facialis maximi, *Zygomaticus* dictus, versus canthum oculi externum procedit, et furculos, quinque vel septem, praebet, quorum superiores cum temporalibus

ralibus nervis, inferiores cum facilibus communicant. Abeunt hi omnes partim in levatorem palpebrae superioris, partim versus tendinem musculi temporalis.

3) Ramus *supraorbitalis*, qui plerumque in duos ramos diffunditur, nempe in *inferiorem*, qui, datis furculis ad frontem, cum nervo zygomatico communicat; et in *superiorem*, qui cum frontali nervo per anastomosis coniungitur.

b) *Inferior*, descendens ac minor, per inferiorem faciei partem decurrit, ac in duos ramos diuiditur 1) anteriorem, qui *facialis inferior seu maxillaris superficialis*, et 2) posteriorem, qui *subcutaneus colli* vocatur.

1) Anterior, *facialis inferior seu maxillaris superficialis* dictus, duos statim ramulos praebet: *superiorem*, qui cum furculis trunci facialis, et cum ramulis secundi et tertii rami quinti paris coniungitur; *inferiorem*, *marginalem seu angularem maxillae inferioris*, qui versus maxillam inferiorem tendens, ramulum dat, qui variis filamentis in musculum buccinatorem, quadratum menti et depressorem anguli oris finitur, suasque communicationes habet cum ramulis ex ramo tertio quinti paris, ex subcutaneo colli, et ex tertio pare cervicalium.

2) Posterior, *subcutaneus colli* dictus, qui praebet a) nervum *submentalem*, ex quo filamenta plura ad biumentrem, platysmamyoideum, parotidem et cutem laryngis abeunt; b) varios ramulos, qui cum pare tertio et quarto nervorum cervicalium communicant, et denique supra lateralem et anteriorem colli partem distribuuntur.



De nervo duro fufius egit b. MECKEL in *Mémoires de l'Acad. de Berlin*, l. c. partim et HALLERVS in *Elem. Physiol.* T. IV.

II. NERVVS MOLLIS SEPTIMI PARIS. Separatus iterum a duro, poft ingreffum in meatum auditorium internum, flatim diuiditur in quatuor vel quinque ramulos, qui per foraminula cribrofa fundi maioris labyrinthi vestibulum intrant, ibique partim in membranam tenuiffimam expanduntur, partim ad canales femicirculares, fcalas cochleae, ipfumque cochleae nucleum feu modiolum abeunt.

Nervum mollem descripferunt Dom. COTVNNI in *diff. de aquaeductibus auris internae*. Vienn. 1774. et Cl. MECKEL, fil. in egregia *Diff. de labyrinthi auris contentis*. Argent. 1777.

Nervus octavi paris, fivae vagus.

Duobus truncis conftat, cranio egredientibus: altero, *gloffopharyngeo*, altero *vago*, proprie fic dicto; quibus ex fpinali medulla accedit *nervus accessorius Willisii*. Horum quemque feorfim tradam.

I. NERVVS GLOSSOPHARYNGEVS. (OCTAVVS CAPITIS ANDERSCH.) Oritur pluribus diftinctis fibris in truncum confluentibus, e latere exteriori primordiorum processus cerebelli ad medullam oblongatam, pone corpora olivaria. Tum fub plexu choroideo procedens, verfus offis petrofi angulum interiorem et inferiorem decurrit, paululum



lum supra vagum neruum, fibra medullari crassiori cum illo coniunctus. Offendit tum foramen durae meningis, quod fossae jugulari respondet. Per hanc ex cranio egreditur, communi fere via cum vena jugulari et neruo vago, interdum vero a neruo illo per ipsam venam jugularem plane separatus.

Dum neruus noster e cranio egreditur, filamenta praebet, quae interdum rete formant, quibusque cum nervis pharyngeis ex ipso trunco enatis communicat. Mox ramulum spargit, neruo stylohyoideo duri nerui immissum, qui et musculo stylohyoideo et biuentri surculos dat. Tum filamenta edit, quae cum neruo intercostali communicant, aliaque, quibus cum ganglio superiori nervorum cervicalium et plexu nerui pharyngei coniungitur. Surculos deinde mittit ad musculos pharyngeos, descendens simul inter arteriam carotidem cerebralem et facialem. Denique vero ipse truncus, exhibitis ramulis ad musculum styloglossum et ceratoglossum, sub arteria labiali menti decurrit, seque posteriori parti linguae immittit, nomen gerens *nerui lingualis ex octavo pare.*

De hoc neruo, aequae ac de neruo vago et nono vid. Diff. anatomico-physiolog. b. ANDERSCH, eiusque icones, quas recudi curavit HALLERVS in *Nou. Comment. Gottingens.* T. II. Conf. quoque HVBERTI *epistola de neruo intercostali, de nervis octavi et noni paris, deque accessario*, Gott. 1744.





II. NERVVS VAGVS, seu SYMPATHICVS MEDIVS WINSL.
(NONVS CAPITIS ANDERSCH.) Oritur e latere exteriori
medullae oblongatae, pone corpora oliuaria, supra arte-
riam cerebelli interiorem, aut fibris aut fasciculis collectis,
Radices istae in rotundum truncum confluunt, peculiari ple-
rumque foramine duram meningem perforantem, ac per
fossam iugularem cum glossopharyngeo et accessorio e cranio
exeuntem. Egressus autem, neruo nono per contextum
cellulosum iungitur ad interius latus, ad exterius vero ner-
uum accessorium comitem itineris sui habet. Statim vero
praebet 1) *ramulum communicantem* cum nono pare neruorum
cerebri; 2) *pharyngeum*, qui filamentis nonnullis cum glosso-
pharyngeo coniunctus, in pharyngis musculos abit; 3) *la-
ryngeum superiorem*, qui statim diuiditur in a) *ramulum super-
ficiatem* ad musculos ossis hyoidis, b) *profundum* ad mem-
branam laryngis profundius procedentem; 4) ramulos ad
plexum ceruicalem et cardiacum. Tum vero truncus nerui
vagi, inter arteriam carotidem et venam iugularem descen-
dens, supra musculum longissimum colli ad pectus vsque
decurrit, ibique a se dimittit 5) *neruum recurrentem*, qui in
dextro latere circa arteriam anonymam vel etiam circa sub-
clauiam, superius, in sinistro vero latere circa arcum aor-
tae profundius e trunco egressus, sursum flectitur circa
ipsam arteriam; quam ansa quasi includit. Ex recurrente
oriuntur ramuli a) ad plexum cardiacum, b) ad tunicam
carotidis et subclauiae, c) ad plexum pulmonalem, d) ad
tuni-

tunicas oesophagi, e) ad laryngem, et f) ad glandulam thyroideam. Tandem vero recurrens nervus laryngem perforat, inter cartilaginem cricoideam et thyroideam, ibique in musculum crico-arytenoideum terminatur.

Dato igitur recurrente nervo, ipse nervi vagi truncus in dextro latere sub trunco venae azygos transiens, in sinistro autem trans aortam migrans, porrigit 1) nervos *oesophageos* et filamenta ad plexum pulmonalem; 2) *ramum posteriorem*, qui cum eodem ex opposito latere coniunctus, plexum *oesophageum posteriorem* format, ramulosque oesophageos spargit; 3) *ramum anteriorem*, qui cum opposito coniunctus, *plexum oesophageum anteriorem* efficit et filamenta ad plexum pulmonalem mittit. Hi plexus inter se communicant et abdomen tandem subeunt.

Plexus *oesophageus anterior* ramulos ad ventriculum mittit, qui in superficie ventriculi anteriori *plexum gastricum anteriorem* formant. Hic, coniunctim cum plexu gastrico posteriori, cardiam reticulo nervo circumdat, furculosque ad diaphragma mittit, qui cum plexibus oesophageis communicant, et *plexum phrenicum* seu *diaphragmaticum* constituunt. Phrenicus ille plexus, cum ipso nervo phrenico et cum ramulis phrenicis ex plexu mesenterico prodeuntibus, non minus ac cum nervis hepaticis e plexu coeliaco originem deducuntibus, per anastomoses communicat. — Ipse vero oesophageus plexus anterior circa maiorem ventriculi curvaturam flexus, in ventriculo dissipatur.

Plexus

Plexus *oesophageus posterior* in duas partes diuiditur, quarum altera plexum *gastricum posteriorem* in superficie ventriculi posteriori format, altera in ganglion mesentericum superius siue semilunare transit.

De hoc neruo, praeter Auctores in descriptione nerui glosso-pharyngei iam allegatos, vid. b. Antecessoris nostri, Ill. NEUBAVERI, egregium opus *de neruis cardiacis*, cuius fortasse continuationem dabimus.

III. NERVVS ACCESSORIVS WILLISII. Oritur e facie posteriori medullae spinalis, quae vertebris colli continetur. Transít via retrograda per foramen magnum ossis occipitis in cranium, omnium neruorum solus, absque vlló alio exemplo. Statim versus neruum vagum procedens, cum eodem per fossam iugularem e cranio elabitur. Mox ab illo separatus, ramum edit communicantem cum neruo duro neruisque occipitalibus ex cervicalibus, aliosque ramulos qui in biuentrem muscolum ac sterno-cleido mastoideum abeunt. Datis hisce ramis paullo exterius vergit, et in duos plerumque minores ramulos diffinditur, quorum alter muscolum sterno-cleidomastoideum adit, alter ad latus colli furculos musculares spargit, et ansam cum secundo et tertio cervicalium ramo format, tandemque in muscolum trapezium et splenium se immergit.

De neruo accessorio plura refert b. HUBER in Commentat. *de medulla spinali*. Gott. 1741.

Nervus



*Nervus noni paris, siue hypoglossus, (lingualis
medius HALL.)*

Oritur radiculis diffitis, pone furculos arteriarum vertebraliū, inter corpus pyramidale et oliuare, vel sub illo. Truncus mox formatus, rotundus, vnum foramen vel duo foramina durae meningis offendit, et per aperturam internam canalis condyloidei anterioris ossis occipitis e cranio egreditur. Descendit cum neruo vago, cui adiacet. Flectitur deinde super anteriorem carotidis cerebriā superficiem, et furculum accipit a latere interno nerui octauī, aliūque a ganglio ceruicali superiori et a ramulo primi nerui ceruicalium. Iam antrorsum procedens, circa ortum arteriae occipitalis inflectitur. Tum vero praebet *ramum descendētem* nerui noni, qui sub vena pharyngea et linguali descendens, communi trunco venae labialis et thyroideae se submittit, ramūque edit, qui super muscū sterni thyroideū descendit et in coracohyoideū inferitur. Ipse vero descendens ramus cum ramo descendente ex ramis anterioribus secūdi et tertii nerui ceruicalium arcū efficit, ex quo plures furculi demittuntur, qui partim in muscū coracohyoideū abeunt, partim et sternohyoideū et sternothyroideū filamentis nerueis prospiciunt. Ex hisce furculis vnus interdum cum neruo phrenico communicat.

Dato autem ramo descendente ipse nerui noni truncus ad latus superius cornū ossis hyoidis oblique ascendit, duos-

E

que



que ramulos ad musculum hyothyroideum mittit. Tendit deinde ad musculum mylohyoideum, ramulosque edit tam ex inferiori quam ex superiori parte. *Inferiores* ramuli ad ceratoglossum, geniohyoideum et genioglossum abeunt; *superiores* vero ad ceratoglossum et basioglossum tendunt, eorumque vnus cum ramo primo nerui lingualis ex quinto pare communicat.

Truncus denique nerui noni, circa arteriam lingualem flexus, in ipsam musculi genioglossi substantiam se immergit, multisque filamentis ibi diffunditur.

Accuratissimam huius nerui descriptionem nuperrime dedit Cl. BOEHMER, amicus noster, in *Diff. de nono pare nervorum cerebri*. Gott. 1777.

